

1429

P O L E M I C I.

1430

## CCCLXXIV.

903 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 209. 4. rubricis distinctus *Alcorani* integri Versionem latinam continet, cujus Autor e calce innotescit, ubi legitur: *Explicit liber Alchorani Machometi quem Marcus Canonicus Toletanus de lingua Arabica transtulit in latinam.* Sura I. ita inscribitur: *Alchorani Machometi libri Probemium.* Ita vero sonat: *In nomine dei misericordis miseratoris. Gloria deo Creatori gentium misericordi miseratori qui regnat in die legis. Te quidem adoramus. per te uiuamus. dirige nobis uiam rectam quam eis erogasti, non eorum contra quos iratus es dampnatorum.* Adscribam et ultimam: *Dic. defendo me cum creatore hominum, rege hominum de malo susurronis occulti, qui susurrat in peccatoribus hominum, et demonibus et hominibus.* Capitula vocat Noster, censetque alia diuisione CXVI. cum *Marraccius* tantum CXIV. Suras numeret, et Versio princeps agente *Petro Abbate Chuniac.* Seculo XII. a *Roberto Retenensi* seu *Ketenensi Anglo* et *Hermanno Dalmata* suscepta Azoaras CXXIV. Post Versionem hanc a *Theod. Bibliandro Basileae* 1543 et 1550. f. editam nostra vetustiore ignoro; non enim *Job. Andreae Mauri* ad Christum Sec. XV. *Valentiae* conuersi Traductio latina est, ut quis e verbis *Job. Fabricii Biblioth. suae Hist. P. II. p. 222.* praesumere possit, sed hispanica. *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

Vide *Nic. Antonii Biblioth. Hisp. Vet. edit. Matrit. 1788.* curatam a Viro docto *Fr. Perez. Bayerio* T. II. p. 325. Atque in secundis his Viri hujus curis expectari etiam poterat quidquam de *Marco* nostro *Toletano* ejusque Versione *Corani* certius; verum *Bayerius*, T. cit. p. 372. quemadmodum *Fabricius Bibl. med. Lat. L. XII. ad Lambecium* nostrum provocat, e quo L. II. p. 979. edit. *Kollar. col. 917.* nil aliud discas, quam Codicem nostrum ex Arce *Ambrosiana* huc translatum fuisse. Adpellat quidem *Bayerius* p. cit. ad *Notam* suam L. VIII. (dic VII.) C. 9. p. 44. col. 2. sed et ibi praeter *Marci* nomen nil inuenias. Nec quidquam opis a *Colomesii Hispania Orientali*, aut *Wagenseilii* Praef. in *Tela ignea Satanae*, cujus p. 47. Versiones *Alcorani* fat jejune, ut *T. I. Marraccii*, enumerantur. Itaque de summa *Codicis* nostri raritate statues, qui *Linguae Arabicae Peritis* cum *Αυτογενεσφω* contendendus prostat. De alio Interprete non magis noto dixi *Cod. seq.*

## CCCLXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 186 XVI. Folior. 83. f. olim *Johannis Fabri Ep. Viennensis*, uti *Formula* typis excusa initio, et manu adscripta sub finem testantur, hunc praefert titulum: *Alchorani a Mahometho filio Abdale Arabis editi Qualitas. Distinguitur alchoranum in triginta Gem,*  
P id